EPITOME
PHILOLOGIAE,
CRITICES ET HERMENEUTICES
SACRAE SPECIALIS.

QUAM
UNA CUM COROLLARIIS SCRIPTURISTIS
PRAESIDE
DAN. CHRISTOPH. RIES
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, SS. SCRIPTURARUM ET LL.
OO. PROFESSORE P. O., SACR. FACULTATIS ADSESSORE,
ECCLESIAE COLLEGIATAE B. M. V. IN MONTE
FRANCOFURTI CANONICO CAPITULARI,

PRO PRIMA LAUREA THEOLOGICA
PUBLICE DEFENDENDAM SUSCEPIT
GERARDUS MÜNCH
EYBINGENSIS
ARCHIEPISCOPALIS SEMINARII AD S. BONIFACIUM
ALUMNUS CLERICUS,

QUANDO
DIE XXI. SEPTEMBRIS MDCCLXXXIX
GENESIN EX TEXTU HEBRAICO INTERPRETABATUR
IN AUDITORIO I. THEOLOGICO
MANE AB HORA IX USQUE AD XI.

MAGUNTIAE,
Ex Typograph. Elect. Aul. Acad. privil. apud
Joann. Joseph. Alef, Hered. Haefener.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bint. 414 (4)

Audax Criticorum genus, spreta Hebraeorum Christianorumque omnium traditione ... quae verae Criticae norma est, omnia ex palato suo aestimat, neque quidquam pensi habet, dummodo acutius sapere atque intelligere videatur. Bossuet *Praefatione in Ecclesiasten* § 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

STUDII BIBLICI

AC

LINGUARUM ORIENTALIUM

CULTORIBUS

SACRUM.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

EPITOME
PHILOLOGIAE,
CRITICES ET HERMENEUTICES SACRAE SPECIALIS.

SECTIO I.
PHILOLOGIA SACRA.

§. I.

Lingua hebraea – qua *divinas revelationes antiqui foederis* ut plurimum consignatas accepimus – merito *sacra* dicitur — Hinc *Philologia*, quae ejusdem ipsius originem – nomenclaturam – indolem – dotes – elementa – fata – demum analogiam cum ceteris linguis generatim pertractat, pariter *sacra*.

§. II.

Hebraica lingua – quidquid alii contra opinantur – verosimilius *primorum hominum lingua* fuit, divino magisterio communicata – aevo tamen postdiluviano demum ab Hebero, Semi nepote, nomen sortita – simpliciſſima quidem – verum a nul-

lis linguae elegantiis aliena, ac vere poëtica – immerito paupertatis insimulata – qualis hodie vivit, ad artis regulas subtiliter concinnata.

§. III.

Characteribus hebraeis scripturam omnium antiquissimam – Mosis *Pentateuchum* – accepimus. – Mose tamen antiquior est scriptura alphabetaria. — *Characteres*, quos aetate nostra *hebraeos* dicimus, *chaldaici* sunt, ab Esdra substituti — *Primaevorum* formam rudioribus *Samaritanorum* literis – utut et his aliquantum ad majorem venustatem hodie immutatis – habemus conservatam.

§. IV.

Vocalibus literis haud omnino caruit quidem *hebraica scriptura* – omittebantur illae tamen saepius, aliis notis antiquitus haud suppletae — *Puncta vocalia* – quo etiam *diacritica* et *tonica* referri oportet – recentioris aevi sunt inventum – nec, quoad omnia, ejusdem aetatis – nec unius alicujus auctoris — Masorethis sive Masorae magnae compilatoribus passim adscribuntur. — Inde sic punctatos Ss. Bibliorum codices *masorethicos* adpellamus; non punctatos vero *amasorethicos*.

§. V.

Diutissime floruit hebraea lingua – fatis quibuslibet superior, ac juvenescente semper vigore senii expers — Inclinata tamen republica in regno Juda, sensim etiam lingua destitui puritate sua coepit. — *Vernacula* esse *desinens*, *numquam sine omni cultura* jacuit – aevo nostro passim inter Christianos felicissimam consecuta.

§. VI.

§. VI.

Quo antiquiores *reliquae per Orientem linguae*, hoc propius hebraicam – dudum emortuam – cognatione contingunt — Sunt autem in primis *chaldaica*, illa emphasis exprimendae studiosior lingua – *syriaca*, solum ad prosam nata – *arabica*, sine exemplo semper sibi constans – *samaritana*, ab origine sua jam impurior — Vero aliquo sensu hebraeae linguae *dialecti* adpellantur, quarum usus – si certis limitibus circumscribitur – ad illam diluci-dandam plurimum confert – Prae ceteris vero arabica – cujus recentius duae extiterunt filiae, *persica* et *aethiopica* – plurimum lucis adfert — Igitur et harum omnium linguarum notitia literaria cum Philologia sacra conjungenda est — Subsidio est inter ceteros Hezelius: — Videatur *Geschichte der hebr. Sprache und Literatur*: item *Lehrbuchs der Kritik des A. T. Erster Abschnitt, Einleitung ins hebräische Sprachstudium.*

§. VII.

Sed neque *aliarum linguarum*, quibus sub quocumque coelo Scripturae sacrae versionem aliquam – critici vel exegetici usus quidquam habentem – accepimus, *literaturae* expers sit *Philologus biblicus* — Una illius cognitione saepius significatuum – quorum quidem in singulis vocibus aut phrasibus testes versiones sunt – fides in aprico ponitur — Potiores autem hujus generis linguae sunt – praeter *latinam* - *graeca*, qua maximam partem translatum Vetus, et primitus conscriptum Novum Testamentum nacti sumus – deinde quibus haec eadem immixta est, *aegyptiaca* – *armenica* – *georgiana* – tum et *slavica* – *gothica* – *anglo* – *saxonica.*

§. VIII.

De *indole graecitatis* et *latinitatis biblicae* haec notanda sunt —

Idioma graecum, quod in scriptis biblicis regnat, vere *classicum* – Judaeis helleniſtis familiare ac vernaculum – neque Judaeis palaeſtinis incognitum – *Dialectus helleniſtica* apud multos audit – quaſi lingua, non origine Graecorum, ſed graecizantium – ſcilicet ubique exerunt ſe – tam vocabulis quam idiotismis – hebraicae aliarumque affinium linguarum, ſyriacae praeſertim, veſtigia — Graecitas LXX *interpretum* – ut vocantur – exemplar fuit, quod ſecuti ſunt *Scriptores theopneuſti N. T.* — Hinc illorum ſtudium – in quo plura hodie ſuppetunt adminicula – praemittatur, oportet, antequam ad hos legendos acceſſurus es — A ſtudio tamen *Claſſicorum profanorum* ducendum eſt addiſcendae linguae graecae initium — Ad horum quidem puritatem propius accedit Lucas – tum in *Evangelio*, tum in *Actis Apoſtolorum* – et quisquis interpres eſt *Epiſtolae paulinae ad Hebraeos* — Discedere autem a vulgari Graecorum idiomate Ss. Scriptorum graecitas in multis neceſſario debuit – jam quidem in V., attamen multo magis in N. T. – ob ſubſtratam materiam — Haec ſaepenumero verſabatur circa res vel doctrinas Graecis ante incognitas — Igitur vel nova vocabula excogitanda fuerunt; vel antiquis novae ſignificationes ſubjiciendae.

Verſionis, quam *Vulgatam* dicimus, Sect. II. §. XXI uberius exponendam, latinitas pura quidem ac terſa non eſt – inſuper reſperſa hebraismis – ſyriasmis prorſus inſolitis – graecismis – nihilominus non unum hucusque apologetam habuit – etiam inter eos, qui a catholicis ſacris alieni ſunt – eſtque illi claſſici ſermonis honor adſertus – haud contemnenda philologica utilitate.

SECTIO

SECTIO II.

CRITICE SACRA IN LIBROS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

§. I.

Universim haec dijudicat biblici Textus *in Fontibus authentiam;* ac *subsidiorum*, quibus ejus puritas dignosci ac restitui possit, *fidem explorat* — Ars *Exegetae* cuilibet divinos Libros explicaturo non u iliissima solum, sed et summe necessaria – quamvis, quae rerum criticarum imperfectio est, non sit sine opinionum diversitate — *Sacrae Critices vestigia* hinc inde jam in *antiquitate* licet deprehendere — *Saeculo XV.* propius ad *artis formam* coepit accedere — Qualem aetate nostra conspicimus, suum est nacta parentem in Richardo Simonio — Hodierno aevo cum innumeris adminiculis auctum sit hocce studium, feliciores in dies singulos facit progressus — Supersedeo hic adtexere, sat longo catalogo, eorum nomina, qui tam inter Catholicos quam Acatholicos generatim de Critica biblica tractarunt – aut doctis recensionibus singulares quasdam ejus partes illustrarunt.

§. II.

1) *Sacrae Scripturae textum* tam V. quam N. T. *in idiomate autographi Fontem* dicimus.

2) Ad *Legis antiquae libros* quod attinet, horum *Fons* est *Textus hebraeus* – quandoque non pericopis tantum, sed integris etiam Capitibus chaldaicis distinctus — Attamen et libri dantur in versione solum superstites – nonnulli horum – quod non inverosimiliter adfirmatur – graeco sermone primitus conscripti — Textus hebraei jam antiquitus *duae editiones* principes obtinuerunt – altera,

altera, qualis ab Esdra chaldaicis literis ad nos pervenit – per Antonomasiam *Fons V. T.* adpellata – altera, qualis Judaeorum extra Palaestinam manibus trita fuit, primigeniis linguae characteribus expressa — Hujus exemplar offert Textus samaritanus – nihil tamen nisi *Pentateuchum* complexus — Esdrina editio pleniorem Ss. Librorum collectionem fistit – qua tamen libris ibidem non contentis nihil – etiam in Palaestina – derogatum fuit — Hodie *tot* sunt diversae Textus hebraici *editiones*; *quot codices* sunt *diversorum exemplarium*.

3) *Eloquia divina novi foederis in Fonte Textus graecus* exhibet — *Versio* tamen dicenda sunt *Evangelium S. Matthaei* et *Epistola S. Pauli ad Hebraeos*, prout graece ad nos pervenere – suis enim ab auctoribus idiomate syro – chaldaico primitus conscripta fuere — Quasdam Scripturae partes in origine sua latinas fuisse, prorsus abest a veri specie — *Autographa hodie nulla* supersunt – utut diutissime adservata fuerint originalia, ut dicuntur, epistolarum in Ecclesiis, ad quas exaratae fuerant — *Primae* tam *Evangeliorum* quam *scriptorum apostolicorum editiones particularibus Ecclesiis* tribuendae sunt — Earumdem studio quoque *collecti* videntur *Libri Ss. N. Testamenti* – sicque horum *Canon* constitutus.

4) *Editiones* Ss. Scripturarum non poterant carere *naevis* — *Mendorum fontes* enumerantur – librariorum oscitantia vel imperitia vel etiam temeritas – tum ipsa vel idiomatis vel scriptionis vel exemplarium describendorum conditio — Varia errata non solum omnibus codicibus, sed etiam versionibus omnibus antiquiora sunt.

5) *Textus primigenii* – hebraeus graecusque – etiam nunc *sua* pollent *auctoritate* – neque ille Judaeorum malitia; neque hic Haereticorum, vel etiam Graecorum schismaticorum pravo consilio corruptus, scilicet universali vitio – neuter scribarum

barum incuria, fraudulentia vel intemperanti crisi depravatus insanabili malo – neuter a tridentinis Patribus auctoritatis suae gradu dejectus – uterque sat multis in locis criticorum subsidiorum ope jam nunc puritati suae restitutus.

§. III.

Criteria – quibus in depurandis textibus primigeniis utimur – vel *interna* sunt, vel *externa* — Illa textum secundum se consideratum adficiunt, ac ejusdem cum illo rationis sunt – unde homogenea dici possunt – haec textum alienam in linguam translatum spectant – heterogenea adpellari queunt — Ad priora referimus – *Textum samaritanum* – *codices* ac *variantes lectiones* – *testimonia* – *locos* quoad vocabula *parallelos et analogos* – *conjecturas* – ad posteriora *Versiones* aut *Paraphrases*. —

§. IV.

Textus samaritanus – sive samaritano – hebraeus – criterion *Pentateucho proprium* – ipsius originarii textus exemplar alterum – non lingua sed characteribus ab illo distinctum – Ex sua suaeque gentis historia *indemnis* adhuc *auctoritatis* est – cum antiquioribus codicibus chaldaico – hebraeis mirifice consentiens – suis tamen naevis ac interpolationibus obnoxius – magis quidem in editis quam mss. codicibus — *Magnae fidei* est – *nec* tamen *indiscriminatim*, quod quidam volunt, in ejus verba jurandum — In Europa *sedecim* numerantur *codices mss.* — Integer textus separatim *impressus* nondum est – variis tamen excerptionibus typo vulgatis usui ejus critico consultum jam aliquoties fuit.

§. V.

Codices. 1) Alterutrum Testamentum sistunt – vel *omne* vel *aliquot* ejus *partes* – suntque vel *scripti* vel

vel typis *editi* — Manuscriptorum tres classes juvat distinguere – doctis Eruditorum laboribus excitatos – usui, quod interierint, subtractos – hactenus nondum ullius opera excussos — *Notitia literaria* codicum, in primis mss., criticum eorumdem usum maximopere adjuvat — Est autem illa primo *generalis* – considerans tum *scribentium manus* in uno codice nonnumquam diversissimas – tum generatim *adjuncta codicum* – quo spectant – materia, et cui inscribebatur, et qua scribebatur – forma, non interna magis quam externa – character, saepe pro temporis diversitate varius – signorum diacriticorum usus – scriptionis compendia – subscripta nomina – notatum scriptionis tempus et locus – secundo *specialis* – sigillatim inquirens in *codices Bibliothecarum* – tam publicarum quam privatarum – inque eorumdem praerogativas vel vitia. — Ad utramque notitiam facilior aevo nostro patet aditus – tum ob eruditas Criticorum lucubrationes – tum ob divulgatos jam codicum catalogos.

2) *Hebraei codices* — Horum quidem alii *amasorethici*, alii *masorethici*; (Philolog. S. §. IV.) his illi fere adcuratiores – *Codices mss.* ex charactere jam *hispanici* – jam *germanici* – jam *italici* — Inter eos praestant, qui antiquiores – aut a diligentiore vel peritiore scriba fuerint – item qui publicum in usum – doctioris viri gratia – ab apographo melioris notae descripti sunt – neutiquam tamen a Calligraphia commendati protinus accurati dicendi sunt — *Editi* sequuntur fidem manuscriptorum, quos typis exprimunt — Non omnino vacillant conjecturae de codicum *aetate*, ubi haec vel adnotata non est, vel conficta videtur – Antiquitatis tamen notae – oppido multae – si seorsim sumantur, lubricae sunt ac fallaces – suis exceptionibus obnoxiae – recentioribus codicibus saepe communes — Subscriptus annus haud semper veram ms. codicis epocham figit — Certius tamen ac facilius aera judaica cum christiana exaequatur — Codex ms. repertus est adhuc nullus Saeculo XI. antiquior —

quior — Ad saeculum XIII. pertinet codex Prophetarum priorum cum Jeremia et Ezechiele – unus, quem Moguntia habet, modo in Bibliotheca Universitatis – inter codices kennicottianae collationis notatus N. 375. — *Inter prima* fere *monumenta typographica* recensentur etiam *Biblia hebraica* — Prima integra typis edita fuere Soncini in urbe Italiae A. C. 1488. — Secuta mox alia – passim masorethica – reliquorum exemplaria – etsi nonnumquam varie a variis immutata — Inter haec majoris nominis fuere, quorum textum curavit R. Chajimius – et typum Bombergius – rabbinica veneta nomen habent – ac lucem subiere A. C. 1526.

3) *Graeci codices* — Hi antiquitate hebraicis antecellunt — Quod aetatem spectat, firmioribus nituntur conjecturis – non semel literis suis dantes temporis, quo scripti sunt, indicia — Nondum pro copia sua criticis usibus, ut decet, adaptati sunt — Inter *mss.* primas deferimus *alexandrino codici* – Angliae cimelio – *Typis* in Germania *impressi* codices passim – etsi non sine immutationibus – reddunt *complutensem* editionem – post *erasmicam* demum, quam quidem aetate anteverterat, A. C. 1522. publici juris factam.

§. VI.

Variantes lectiones. 1) Ex harum praestantia proprie codicis cujusdam praerogativa pendet — Menda tamen ne variae lectiones dicuntor.

2) Quibus codices ipsos adeundi locus non est, his copiose consulunt variantium lectionum collectiones – dummodo diligenter ac fide sint factae — *Antiquiores* Judaeis debemus — Jam ante inventa puncta quoad lectionum varietatem quinque hebraici Textus recensiones numerantur — *Ablatio scribarum*, particulam ו concernens – *Keri et Chetibh*, distinguens inter ea, quae quamvis non scripta legi tamen debent, aut aliter legi, ac scripta sunt —

sunt — *Correctio Scribarum* — *Major codicum numerus* lectionem attestantium — *Collatio textuum* ab *Occidentalibus* h. e. Palaestinis, et *Orientalibus* sive Chaldaeis inita — Ab hac sollicite secernenda est, quam multo post vulgarunt R. Ben-Ascher et R. Ben-Nephthali — *Recentiores* a Christianis sunt – particulariter ex variis Scripturae partibus orbi literato communicatae – aut collectim in omnem textum – tam hebraicum quam graecum editae – et quidem, quod libros V. T. concernit, nuper a Kennicotto et de Rossi – quod ad libros N. T. attinet, jam olim a Millio et Wetsteinio —

3) *Variae lectionis veritas* – cujuscumque Textus fuerit – *suis criteriis examinanda est* – librati quidem utrimque tam faventium quam adversantium testium argumentis —. Neque ob variantem – nisi gravis auctoritas in contrarium stet – recepta lectio deserenda — In ipsum vero Textum illa non inferatur, nisi evidenti mendo substituenda — Faciunt saltem communiter ad ferendum judicium pro veritate lectionis melior codicum de lectione testantium conditio – aut major eorum numerus – tum consensus cum indole linguae, cum stilo auctoris, cum contextu – etiam ipsa librariorum male corrigendi libido, ita ut – quod Kennicotus ait – nonnumquam lectio rarior usitatiori – durior molliori – difficilior faciliori sit anteponenda — Item ex mendis – cognita lapsus origine – verae lectionis quandoque non vana fit conjectura — Graecas lectiones – cum Vulgata hodierna (vid. §. XXI. N. 1. lit. b.) consonas – non illico latinizantes dixeris, sive ad latinum Textum emendatas – pro determinanda enim lectionis veritate hieronymianae versioni – qua forsitan graecorum codicum antiquior nullus hodie suppetit – multum ponderis inest.

§. VII.

§. VII.

Teſtimonia – Parallelismus locorum biblicorum ab aliis dicitur — Horum fides – praeter rationum internarum momenta – etiam ex teſtium conditione ponderanda.

1) *Teſtes omni exceptione majores* ſunt *Auctores theopneuſti* utriusque foederis – at ſolum ubi verbotenus vel ſuam aliquam vel aliorum ſententiam autographi lingua – hebraica graecave – exprimunt — Textus ex hebraico in N. T. citati Verſionis vices ſubeunt – notandumque eſt, parallelis in textibus multoties anterioris loci ſenſum modo exprimi — Qui vero ex Verſione graeca repetuntur – repeti autem inde ſolent frequentius – Verſionis potius quam Textus hebraici lectionibus dignoſcendis inſerviunt.

2) Porro quoad Scripturam hebraicam conſulendi ſunt *a) Ss. Patres* – hebraice quidem docti – attamen magis, ubi commentantur in Textus biblicos, quam ubi homiletas agunt – tum, ſi quocumque modo de hebraici Textus lectione quapiam teſtimonium perhibent — *b) Scriptores judaici* – qua excidio jeroſolymitano coaevi – ut Joſephus, quamvis non infrequenter mendoſo codice hebræo uſus – et Philo alexandrinus – ſi tamen umquam – ſiquidem univerſim prope ſeptuagintaviralem translationem (vid. §. XI. N. 1. lit. a) ſecutus eſt – qua illo poſteriores – ut ſunt Rabbini in *Talmud – Maſora* – et *Commentariis biblicis.*

3) Pro *Textu graeco* N. T. porro ſerviunt *a) ſcripta Patrum graecorum* – aut latinorum graecam lectionem conteſtantium — *b) Acta Conciliorum orientalium* — *c) Libri rituum ac omnis Officii divini in Eccleſiis graecis.*

§. VIII.

§. VIII.

Parallelismus vocabulorum et *Analogia* — Utrimque fit in affinibus Scripturae locis lectionum collatio — *Illic* vox nude *secundum se* vel ejus *etymon; hic formâ* attenditur — At Scriptores sacri rem eamdem non iisdem semper vocabulis notant – et nonnumquam, quae ruditer primum scripsere, postmodum secundis quodammodo curis elegantius perpolita exhibent — Sed neque semper citra Anomaliam scribunt – imo anomalica forma saepius praeferenda est – etiam in ipsis nominibus propriis — Quare nisi gravius aliud criterion accesserit; ab alterutro non admodum firmum argumentum repetitur — Ex *parallelismo rerum* vel *analogia historiarum* si lectionis veritas eruenda est; in illa sane maxima vis est ponenda.

§. IX.

Conjecturae — Neutiquam repudiandae sunt — Tanti valent, quanti rationes, quibus innituntur — Saepe robur accipiunt ex *Historia naturali* – ex *re antiquaria* – ex *Geographia* etc. — Plures in varias Scripturae partes feliciter jam conceptae sunt – ad dignoscendam veriorem aliquam lectionem satis accomodae — Ex solis conjecturis tamen definiendum est nihil — Quas editas accepimus – sparsim vel una junctim – adhuc et multum augeri possunt, et accuratius examen requirunt.

§. X.

Versiones utriusque Testamenti 1) Dispescuntur *a*) ratione *originis* in *immediatas* – ex ipso textu autographi natas – et *mediatas*, quae sunt translationes cujusdam Versionis praeviae – *b*) ratione *idiomatis* in *orientales* et *occidentales* – prout Versio-

Verſionum linguae vel in Oriente vel in Occidente primam ſuam ſedem vel culturam habuere — utriusque autem Verſiones vel ſunt *emortuae* jam alicujus linguae, vel adhuc *vernaculae* – c) ratione *temporis*, quo adornatae ſunt, in *veteres* et *recentiores* – illae S. Hieronymi aetatem anteceſſerunt; hae ſecutae ſunt – d) ratione *uſus* in Verſiones, quae *publica* vel *privata* auctoritate pollent – illis ſuffragatur Synagogae vel Eccleſiae judicium; his ex interpretis vel interpretationis conditione accedit pretium.

2) Singularum *Verſionum fides ex iisdem cum Fonte Critices principiis examinanda* — Generatim immediatae mediatis anteponendae — Præſtantiores etiam ſunt – quae ſecutae ſunt exemplar melioris notae – quarum origo propius contingit florentioris adhuc hebraicae linguae tempora — Quae Paraphraſi ſimul utuntur, ſaepe non indicant, quid legerit Hebraeus vel Graecus – ſed quid ſenſerit non tam auctor theopneuſtus, quam ipſe interpres – et quidem pro ſyſtemate, quod amplexus eſt – Verſiones ex Verſionibus pro eodem cum his teſte valent – altera tamen alterius lectiones certius determinat, aut menda detegit — Quaedam Verſiones plus commodi exegeſi quam Criticae ſ. adferunt – quam quidem exegeticam utilitatem illuſtravit praeter alios Contant de la Molette – novam praeſcribens methodum penetrandi in verum S. Scripturae ſenſum.

3) In conferendo Fonte cum Verſionibus magna *Bibliorum polyglottorum* utilitas — His praeluſit Origenes in collectionibus Verſionum graecarum – primum omiſſo – tum et addito Textu hebraico duplicis generis characterihus – hebraicis et graecis — A numero columnarum ipſis inditum nomen fuit – hinc dicuntur *Tetrapla* – primum hocce in genere Origenis opus – a *Tetraſelidis* diſtinguendum – tum *Hexapla* – quae quoad quosdam libros et *Octapla* et *Enneapla* adpellantur —

Biblia

Biblia polyglotta – nomine suo digna – sunt *a*) *Complutensia* – auspiciis Cardinalis Ximenes impressa — *b*) *Regia* sive *Antwerpiensia* – editionem curante Aria Montano — *c*) *Parisiensia* – typis *de* - *Jayanis*, potissimum studio Gabrielis Sionitae edita – *d*) demum *Londinensia* Briani Waltoni — Priora duo sunt Saeculi XVI.; duo posteriora Saeculi superioris — Singula suas virtutes habent et naevos — Super cetera eminent Anglicana — Benigniores tamen censores hodie passim nanciscuntur et Complutensia — Tironum commodo consulturus, atque eorum, quibus ad Polyglotta aditus non est, prelo – at lente hactenus tractato – jam submisi *Chrestomathiam biblicam polyglottam* – ex Polyglottis londinensibus excerptam – quadripartitam – scilicet analyticam, aestheticam, dogmaticam, harmonicam – *Mantissa variantium lectionum* et *Vocabulario* absolvendam.

§. XI.

Versiones graecae 1) Quod liquet, ad Scripturam V. L. pertinent — Est autem earum *a*) *antiquissima* et – quod quidem scimus – omnium omnino prima, quae vulgo a LXX *interpretibus* nomen habet — Non unius temporis aut consilii opus fuit — Quod Pentateuchum spectat, ad postulata cujusdam Regis Aegypto dominantis confecta videtur – peristasis – una forsitan in historica originis ejus narratione, qualis, praeeunte quidem supposititio Aristaea, diversissime tamen tradi solet, veritate nixa — Interpretes verosimilius Judaeos alexandrinos dixeris – quamvis a Pentateuchi translatione non omnes Judaeos Jerosolymitanos exclusos velim — Exemplar, quod secuti sunt, antiesdrinum fuit – neque hoc mendis omnibus liberum – quandoque, ut videtur, cum esdrino collatum — Interpretationis laus non eadem omnibus – palmam tulere Pentateuchi translatores – qualisqualis eorum numerus fuit – infimo autem sedet loco Danielis interpres – a quo haud

procul

procul abeſt Iſaiae translator – fortaſſe magis librariorum, quam ſua culpa — Summae quondam auctoritatis fuit haec Verſio – nec illa hodie deſtituitur – non obſtantibus ſcriptionis aut typi erratis – ac RR., quae intruſa ſunt, gloſſematis — Ad emendandam hanc Verſionem faciunt Loci paralleli in N. T. (ut dictum eſt §. VIII. N. 1.) — Philo – *Verſio itala*, de qua §. XX. ſermo redibit, et *Patres* praecipue *graeci* – ad intelligendam vero Phrynichus – Suidas – Heſychius – ac recentius Bielius in novo Theſauro ſuo philologico, opere poſtumo.

b) *Antiquae*, ſed jam aerae chriſtianae, ſunt Verſiones Aquilae – Theodotionis – Symmachi – *Origenianae caeterae* — Theodotiana ceteris praeſtat – prout licuit, jam verbis inſiſtens, jam ſenſum reddens.

c) *Recentiores* ſunt Verſiones Sophronii Patriarchae byzantini – hieronymianam hebraei Textus Verſionem latinam graece reddentis – et Apollinaris – ex anterioribus graecis translationibus novam aliquam conſarcinantis — Neutra multum auctoritatis habuit.

d) *Recentiſſime* demum cognita eſt alia *incerti auctoris* – In uno codice veneto Bibliothecae S. Marci adſervatur – Verſio a quibuslibet aliis diſtincta – Pentateuchum, et quaedam ex Hagiographis, nuper ab Anſſe de Villoiſon edita, ad hebraicum exemplar exhibens, graecitate ſibi propria – utut novitia; non omni utilitate critica carens.

2) Septuagintaviralis Verſionis *editiones ſcriptae* antiquitus *duae celebriores* — *Vulgaris* altera; altera *Origeniana* – in Tetraplis aut Hexaplis – et ſeparatim vulgata ab Euſebio et Pamphylo Caeſareenſibus — *Editiones impreſſae* ſunt

Com-

Complutenſis A. 1514. — *Veneta* ſive *Aldina* A. 1518. – ab Aldo Manutio ſic nuncupata – *Romana* A. 1588. – quod juſſu et auſpiciis Sixti V. Pontificis in lucem prodierit, *Sixtina* dicta — Duae priores ex variis codicibus conflatae ſunt – poſtrema ſolum exprimit codicem vaticanum — Prima recepta eſt in Polyglotta antwerpienſia et pariſienſia – ſecundam adamarunt typographi germani – ſixtinam eſt cernere in Polyglottis londinenſibus – interdum ad codicem alexandrinum immutatam — In codicibus tam mss. quam editis – quos dixi – *Danielis recenſio theodotiana* eſt — Septuaginta Senum Verſionem hujus Prophetae habemus adhuc ex Tetraplis Origenis *in codice chigiano* – typis romanis excuſo – recuſo goettingenſibus duplici forma – ad faciendam tamen novae lectioni fidem – ut nonnullis videtur – minus adhuc idoneo.

3) Reliquarum Verſionum nonniſi *fragmenta* ſuperſunt — His colligendis operam dedere Flaminius Nobilius – poſtea Joannes Druſius – felicius vero Montfauconius – Hexaplorum Origenis reſtitutor – novo critico examine demum majori perfectione donandus.

4) Rejicienda huc ſunt varia *fragmenta Verſionum graecarum* – ſub variis nomenclationibus ad marginem codicum mss. a librariis poſterioris aevi notata – excerpta potiſſimum ex Patrum ſcriptis, ad emendandam vel illuſtrandam των LXX Verſionem — Num earum una integra extiterit, incertum — Ferunt autem haec nomina — *a*) ὁ Ἑβδομήκοντα – hieronymianae lectiones videntur eſſe – ex Textu hebraico Verſionem ſeptuagintaviralem emendantes – *b*) Το Σαμαρειτικον — Ex Pentateucho ſamaritano – integre vel ex parte in graecum translato – haec fragmenta profecta ſunt – *c*) ὁ Ἑλληνικος — Non inveroſimile eſt, deſignari S. Textus apographum graeco – hebraicum —

§. XII.

§. XII.

Targumim sive *Paraphrases chaldaicae* — Etiam hae V. T. Libros concernunt — Chaldaicum, quod Libris N. T. in Polyglottis antwerpiensibus subjicitur, Versio syriaca est chaldaicis literis —

Duodecim numero sunt – omnes tamen temporum reparatam salutem consequentium – recentiores insuper ad masorethicum textum reformatae — Librorum, quorum pars aliqua ex origine sua jam chaldaica fuit, ut *Esdrae* – *Nehemiae* – *Danielis*, *Paraphrasis* reperta est adhuc *nulla* – Item nullius auctoris extat in universos antiqui foederis libros *Paraphrasis* — Nomen suum accepere Targumim – vel *ab auctoribus* – vel *a loco*, ubi vel cujus dialecto compositae sunt – vel *ab objecto*, circa quod versantur.

2) *Paraphrases* igitur sic se habent – a) *Pentateuchum* circumscripsit Onkelosus – cum Aquila non confundendus – Textui primigenio prae ceteris fidelior – usus lingua chaldaismo biblico magis consona — b) *Prophetas* dedit Jonathan – magis jam exuberans ingenio – nisi descriptori potius id vitio vertendum sit — c) *Hagiographa* Josephus caecus – vel potius non unus, sed plures anonymi – ut Paraphrastae ceteri, magis indulgentes fabulis, eadem, qua isti, idiomatis barbarie – Sunt autem *reliquae* Paraphrases sequentibus literis notatae – d) *Duae* rursus in *Pentateuchum* — Jonathanis nomen in fronte gerentes, at falso — Hinc prior Pseudojonathanis nomine merito inscribenda – posterior *Jerosolymitana* verius adpellanda — e) *Paraphrasis* in *Prophetas* itidem *Jerosolymitana* — f) *Paraphrasis* in *Megilloth* sive volumina – veniunt hoc nomine quinque sequentes libri – *Canticum canticorum* – *Ruth* – *Threni* – *Ecclesiastes* – *Esther* – fere singuli tamen diversum

produnt interpretem — g) *Tres* aliae *Eſtheris* Paraphraſes – id quod argumento eſt, quo in honore hic liber apud Judaeos fuerit habitus – *prima* earum ſuccincta et ſimplex – extat in Polyglottis regiis – *ſecunda* plus ceteris luxurians fabulis – in Polyglottis londinenſibus legitur – *tertia* tantum in Verſione latina ſuperſtes -- dicaciſſimi Rabbini opus — h) Hiſce addenda Paraphraſis Capitum, quae *deuterocanonica* dicuntur — et *Additamenta Eſtheris* vocantur — cum graecis Verſionibus comparata, abunde indicat, harum ſe filiam haud eſſe — inſuper ſtilo fluit multo puriore, quam in ceteris Targumim -- nec fabulis deturpatus textus eſt i) Paraphraſis in *Chronica* -- haec nonniſi a fine Saeculi XVII. cognita -- inter cetera quoque contra hiſtoricam veritatem peccans.

3) Targumim plerumque in *codicibus mss.* cum *hebraico textu* conjunguntur — Rariſſimi ſunt codices unius Textus chaldaici — Onkelofus ob majorem utilitatem, uti plus ceteris deſcriptus, ita et expreſſus typis — *Editiones* laudantur -- *Complutenſis* -- *Bombergiana* -- *Buxtorfiana* -- jam haec, jam illa in Polyglottis aliisque editionibus recuſa -- In ſingulis arbitrariae literarum ac punctotum immutationes carpuntur, nec immerito — Sanior criſis Bombergianae tribuitur — *Additamenta Eſtheris* edita accepimus cum *Daniele graeco* ſecundum LXX. ex codice vaticano -- iteratis typis in lucem nuper prodiere editore de Roſſi – non tamen, ut videtur, codicem vaticanum, ſed Aſſemannum exſcribente — Chronicorum duplicem editionem habemus – alteram ex codice erfordienſi – alteram ex cantabrigienſi — Utramque commendat Critico Eichhornius -- priorem ob eruditas adnotationes -- poſteriorem ob emendatiorem plenioremque textum.

§. XIII.

§. XIII.

Verſio ſamaritana Pentateuchi -- chaldaicis Paraphraſibus hic ſubjecta, quod nonnunquam Onkeloſum videatur exſcribere — A ſamaritano Textu probe ſecernenda -- quamvis hujus ipſius lectionum tenaciſſima -- unde etiam utriusque eadem eſt in Polyglottis Londinenſibus latina interpretatio -- in variantibus demum ab ipſo lectore ſupplenda — Varietas vero lectionum oritur *primo* -- quod per ſeſe fieri debuerat -- ex Samaritanismo, tum Syſtematis, in anthropologicis Dei actionibus Angelos ſubſtituentis, tum linguae, in pronunciatione inter gutturales literas nihil fere diſtinguentis -- *ſecundo* ex codice verſioni ſubpoſito. — Interpolatam eam recentius fuiſſe, Morinus probat.

§. XIV.

Verſiones Syriacae. — Plures fortaſſis quam cujuslibet alterius linguae.

1) *Veteris Teſtamenti* ſequentes ſunt — a) *Antiquior* -- certo jam Seculo IV. Ephremi Syri commentariis exornata -- et a PP. Saec. V. laudata -- plurium auctorum opus — *Peſchito* vel *Feſchito* -- ſimplex -- dicta -- ceteris purior -- fortaſſe unica, quae Textum hebraicum ſequebatur -- proprias plures lectiones offerens -- jam olim apud Syros communi Eccleſiarum, praeprimis, quae Antiochiae ſubſunt, uſu conſecrata -- non alium hodie -- perinde ac lingua ſyriaca vetus, quam vocabulo indigeno aramaeam vocant, quoad fructus literarios dudum emortua -- niſi eccleſiaſticum uſum habens — De *Codicum mss.* indole et numero pauciſſima conſtant — In Polyglottis de -- Jayanis impreſſa primum legebatur -- recudebatur in waltonianis -- ad quatuor novos codices mss. emendata -- ex quibus nuper ſeparatim editus

est *Pentateuchus* Hosae in principatu Baruthano magna editoris Kirschii laude — *Psalterium* aliquoties multo ante impressum fuit.

b) *Recentiores*, at mediate -- *Prima* probabilius eadem, quam Jacobus edessenus recensuit. — *Figuratae* nomen perperam habet -- vero nomine dicenda: *Editio* LXX. *Interpretum ex graeco syriace reddita* — Ejus -- si ullum -- unum exemplar, quod ad *Pentateuchum* attinet, suppetit in codice quodam monasterii teledensis — *Secunda* versio *syriaca hexaplaris* -- omnem Scripturam sacram complexa, etiam cum partibus deutero-canonicis. — Incogniti auctoris est -- admodum servilis — Critico tamen haud inutilis — *Codex mss.*, integram Versionem continens, cognitus nullus -- particulares sunt codex Masii, complexus non minimam partem *Deuteronomii* et *Libros historicos*, hodie incassum investigatus, — perhibent aliqui, sed incertis auctoribus, a morte Masii eum Danieli Ernesto Jablonski obtigisse -- tum codex *Bibliothecae ambrosianae* quae Mediolani est -- ceteros libros eo referens ordine, quem in septuagintavirali Versione tenent — Unius codicis partes esse -- quod de Rossi opinatur -- in dubium vocant Michaëlis et Eichhornius — Ambrosianum codicem, cujus hucusque varia specimina typis exscripta fuere, beneficio Norbergii typis lundensibus accepimus — Ceteras hujus generis Versiones -- potissimum ex Gregorio Bar-hebraeo cognitas -- dederunt — Philoxenus-etiam Xenajam dicunt -- hierapolitanus in Saeculum VI. vivendo excurrens — Mar-Abba Patriarcha antiochenus mox laudato Saeculo — Jacobus edessenus -- de quo vid. lit. a — Thomas heracleensis -- a solo natali sic adpellatus -- vixit Saec. VII. — Simeon monasterii s. Licinii Abbas -- cujus quidem aetas ignoratur — Addenda *Karkaphensis* -- sive Versio Christianorum montosam regionem incolentium -- num nova Versio, num antiquioris alicujus recensio tantum

tum sit, etiamnum latet -- deinde *Graecus* -- ut aliam ex graeco syriacam Versionem simpliciter Ephremus laudat -- denique adductis etiam lectionum ejusdem quatuor exemplis -- denique *Targum syriacus* — Jacobo edesseno ex usu cognitus — Quae quidem omnia ad majorem eruditionis adparatum, quam ad criticam utilitatem faciunt — Emendandis Versionibus Syriacis Ephrem et Theodoretus, uterque Syrus, inserviunt -- quod Ephremum spectat, recentissimis Eruditorum scriptis facilitato labore — Vid. Spohn de ratione Textus biblici in Ephremi Syri commentariis obvii etc. et Kirschius in edito *Pentateucho* Syriaco.

2) *Novi Testamenti* Versiones — a) *Antiquissima* aliqua est -- adhuc reconditae tamen aetatis -- ante Versiones V. T. probabilius adornata — Immediata est, textum primigenium reddens -- variantibus lectionibus fecunda – varias ob immutationes, quas passam eam esse non ex vano conjicimus, difficiliorem habens usum criticum — *Primus mss. codex* in Europam illatus fuit circa medium Saec. XVI -- impressus Viennae in Austria studio Widmanstadii impensas suppeditante Imperetore Ferdinando — Editio crebrius, tam separatim, quam in Polyglottis, prelo subjecta -- jam quoad omnem textum, jam quoad aliquas ejus partes -- et in Polyglottis quidem antwerpiensibus bis comparet literis et syriacis et chaldaicis — Libri deuterocanonici – Syris certissimi noti, Ephremo *Epistolam Judae* citante -- quibus editio prima carebat, postmodum suppleti novis ex Asia submissis codicibus -- a Jesuita, Balthasare Etzelio, hebraicae linguae tum temporis in hujate Universitate Professore, latinitate donati — Hos tamen codices priore illo recentiores esse non invitus concesserim.

b) *Minus*

b) *Minus antiquae* sunt — *Philoxeniana* -- quae etiam *Heracleensis* nomen habet -- utpote a Thoma heracleensi emendatius subinde recensita — Ridlejo Anglo, cujus in manus ante aliquod tempus ejusdem codex venit, certiora grati adscribimus, quae de hac versione constant -- tum denuo *Karkaphensis* -- cujus notitiam suggerit Gregorius Syrus Scholiastes.

§. XV.

Versiones arabicae — Auctores habent *Judaeos*, *Samaritas* et *Christianos* — Recentiores omnes ex indubitatis argumentis ex Saec. X. sunt -- ex conjecturis, neque his levibus, quaedam ad remotiorem aetatem promoveri queunt -- Probabilius nulla -- cujuscumque Testamenti -- quoad omnes Scripturae partes ab eadem manu venit.

1) *Versiones V. T.* — Aliae ex *Textu hebraeo* -- quam diversum eum novimus esse -- aliae ex *Versionibus* profluxere — a) Inter eas, quae Textum *judaeo-hebraicum* exprimunt, *Versio* R. Saadiae -- cognomento Gaon -- celebrior ac utilior — Unus *Pentateuchus* genuinus Saadiae partus -- vindicant hunc illi tum propria quaedam interpretandi ratio, tum lectiones singulares, quas suas fecit — Versionem daturus suimet interpretem, multus est in Paraphrasibus — insignes interpolationes, praecipue ex Versione samaritana, communi cum ceteris fato expertus — *Duo* memorandi sunt ejus *codices* -- alter, ex quo *impressa* fuit Constantinopoli A. C. 1546., alter, ex quo primum in parisina Polyglotta venit -- pluribus naevis, partim ad textum, partim ad versionis historiam pertinentibus, quibus immune est exemplar constantinopolitanum, infectus — De Versionibus reliquorum librorum ex hebraico datis quod disputant nonnulli, aliis non facit satis — Josuen ex hebraico arabicum esse plures tamen autumant.

b) Ad

b) Ad Textum *ſamaritano-hebraicum* confecta eſt Verſio una -- utique Samarita quodam auctore, Abu Said hodie vocatur -- at perperam antiquiſſimi temporis dicta -- equidem adſtricta vocabulis -- quandoque tamen diffundendae lucis aut idiotismi declinandi cauſa ſuo in rigore quidquam remittens -- criticis disquiſitionibus -- magis tamen circa notitiam literariam quam textum -- in majori lumine nunc collocata — *Duo codices* celebrantur – *Uſerianus* et *Barberinus* in Triglottis ſamaritanis -- ejusdem arabicae Verſionis exemplar, literis tamen ſamaritanis ſcriptum.

c) Textum *maſorethico-hebraeum*, aliqua ejus parte, offerunt Verſiones *duae* — Altera *Pentateuchum* habet – a Iudaeo quodam africano translatum – ab interpretandi ratione commendatur – utilior futura Critico, ſi in antiquiore exemplari labor verſatus eſſet – typis vulgata ex codice mſpt. Bibliothecae ſcaligerianae ab Erpenio A. 1622 – Altera in *Geneſin*, *Pſalmos* et *Danielem* excurrit, eſtque a Saadia Ben Levi Aſnekod, Iudaeo marochiano – ex ſuperiore Saeculo – ſuo incedens tramite – at juniorem ob aetatem parum adlatura commodi.

d) *Verſiones graeco-arabicae* — Harum nulla – addo, et illarum, quae ex *ſyriaco* -- *arabicae* ſunt, – Libros divinos omnes recenſet — Extitiſſe quondam ejusmodi aliquas, adfirmant nonnulli, non probant — Sic et utriusque generis Verſiones *plerumque* nec auctorum, nec aetatis ſuae dant indicia -- Ex *graeca* igitur *ſeptuagintavirali Verſione* profluxerunt *Pentateuchus* Bibliothecae medicaeae, nondum editus — *Libri hiſtorici* et *prophetici* in Polyglottis — *Daniele* tamen *theodotiano* — *Pſalterium* — Hujus tres Verſiones — *Prima Vulgaris*, et duplicis quidem recenſionis – altera dicitur *antiochena*, vel etiam *ſyriaca*, quippe ex ſyriaco emendata – bis edita – ab Auguſtino Iuſtiniano Epiſcopo nebienſi, et a Maronitis Gabriele Sioni-

Sionita et Victore Scialac Accurenſi – ſed non ſine diſcrimine – a deſcriptoribus vel editoribus jam hanc, jam illam translationem in ſubſidium vocantibus id provenire creditur – altera *alexandrina* vel *aegyptiaca* – a patria ſua hoc trahens nomen – cum ſorore ſua comparata inſolitum et conſenſionis et diſſenſionis exemplum – eadem eſt, quam in Polyglottis eſt reperire — *Secunda Melchitica* a Melchitis Libani accolis, quorum uſibus inſervit, ſortita nomen – auctor dicitur Abdallah Ben Alphadi, itidem Melchita ex Saec. XI. – *editio* ejus antiquior – Londinenſis de anno 1725 – recentior, at orientalis, patrii ſui ſoli nomine dicta – eſt Keſroanenſis de anno 1752 — *Tertiae* alicujus *Pſalmorum translationis* meminit Waltonus – ejusdem etiam duorum codicum laudator.

e) *Verſiones ſyriaco – arabicae* — Ex ea, quam *ſimplicem* nuncupatam dixi, arabice habemus *Jobum*, qualis in Polyglottis legitur — ab exemplari ſuo vel ex indole linguae vel interpretis culpa ſaepe diſſentiens — *Pſalterium duplex* – aliud editum, literis quidem ſyriacis, ac nonnumquam ad graecam Verſionem mutatum – aliud ineditum – quod Muſaei brittanici eſt – notas habens lectionis non unius ad hebraicum Textum correctae — *Textum hexaplarem ſyriacum* arabice vertit Hareth Ben Senan – ex Mohammedano Chriſtianus — A. C. 1486 — *Duo* ſuperſunt *codices* – alter *Pentateuchi* in Bibliotheca bodlejana – alter *Librorum Salomonis* – inter quos et *Liber Sapientiae* et *Eccleſiaſticus* reponitur – in Bibliotheca medicaea.

f) *Verſiones coptico – arabicae* — De *copticis translationibus* ſermo redibit §. XVIII. N. 1. — Profectae ſunt autem ex his etiam quaedam *Verſiones arabicae* — Sed de harum numero – auctore – aetate – prope nihil conſtat — Totius V. T. *codex* adſervatur Romae in Maronitarum Bibliotheca — Codices reliqui tantum particulares ſunt.

g) *Ver-*

g) *Verſiones latino - arabicae* — *Duae* ſunt — Alteram imprimendam curavit Congregatio de propaganda fide, Romae 1672 - ex pluribus arabicis Verſionibus et codicibus ex Arabia advectis concinnata quidem - ad Vulgatam tamen latinam adtemperatis lectionibus - atque hinc adcommodata magis Eccleſiae ſcopo per ſe laudabili - ab multis Acatholicis quoque non improbato - minus tamen Criticae ſacrae conſulens — Altera Raphaëlis Tuki Epiſcopi arſanenſis eſt - imprimi quidem caepta Romae ſuis auctoris ſumtibus ac typis rutilianis - at non abſoluta.

2) *Verſiones N. T.* — Notiores ſunt ex editis quam mss. codicibus — Atque iidem illi - ut communis fert opinio - diverſarum Verſionum ſunt — De auctoribus vel omnino nullos, vel dubios nuncios hucusque audivimus — Rarius *Textus originarius* - paſſim *ſyriaca* vel *coptica Verſio* - quandoque vicibus alternis utraque - *translationis arabicae baſis* eſt - non levi ſacrae Critices detrimento vel impedimento — *Editionum* haec fere ratio.

a) *Editio romana* anni 1591. complectitur *Evangelia* - probabilius ad Textum originalem expreſſa - cum *Verſione latina interlineari* — Num ſeorſim recuſa, diſceptatur — Illata ſunt in Polyglotta Pariſienſia - infelici ſtudio phraſibus minus arabicis - quales fortaſſe magis exiſtimatae ſunt, quam reipſa erant - ad linguae ingenium a Gabriele Sionita reformatis, adjectisque ceteris Libris, ex Verſionibus minus antiquis, ut videtur, ac ſine ulla communicata codicum, quorum in ea re uſus fuit, notitia — Emendatiora venerunt iſta in Polyglotta londinenſia.

b) *Editio Erpenii, totius* quidem *N. T. Libros* continens - adornata Leydae A. 1616 - ex codice mss. monaſterii S. Ioannis in Thebaïdis deſerto, et anni 1342 — Verſionis tamen eſt, ut veriſ-

ſime

sime adfirmare licet, multo antiquioris — Verum uti codex non videtur unius temporis vel descriptoris esse; ita nec Versio ejusdem auctoris vel exemplaris — *Evangelia* sequuntur Textum graecum – et cum Evangeliis editionis romanae – si priora tredecim *Matthaei* Capitula excipis – prorsus consonant — Quod reliquum est, syriacum exemplar prodit – aliquoties copticam vel aethiopicam Versionem refipit — Millius excerptas ex *Actibus Apostolorum* lectiones dedit.

c) *Editio duplex*, *Christianorum in Oriente usui destinata* — Altera catholica – rursus Congregationis de propaganda – impressa Romae — Altera acatholica — Societatis anglicanae de propaganda cognitione Christi, de anno 1727 — Illa Vulgatae latinae lectionibus conformis reddita – haec ad graeci Textus similitudinem reformata.

d) *Editiones* aliae *duae* — *Bucurestiana* de A. 1700. et *Aleppiana Evangeliorum* de A. 1706 – inter nos fere solo nomine cognitae – magis recondita est notitia codicum, unde venerunt, et Versionum, quas recensuerunt.

§. XVI.

Versiones aethiopicae – ab Aethiopia Africae, quam Abyssiniam dicimus, sic adpellatae – ob rarius inter Europaeos linguae aethiopicae – arabicam quidem cognatione contingentis, ab hac tamen, uti a ceteris tum idiomatis tum characterum indole se distinguentis, studium, non tam obvii, quod Criticen s. concernit, usus.

1) *Versiones V. T.* indubitato sequuntur Textum graecum – hunc que alexandrinum — Praeter pericopas ex quibusdam libris petitas et *Librum Ruth* impressa sunt *Psalterium* et *Canticum Canticorum*

rum curante Niſſelio Romae A. 1513 – denuo ſubjecta prelo – illud Coloniae 1518, hoc Lugduni Batavorum 1656 – inſerta Polyglottis londinenſibus — Notandae praeterea ſunt nonnullorum ex *minoribus Prophetis* ſingulares editiones — *V. T. Libros omnes* in mss. exemplaribus reperiri teſtatur Ludolfus, cujus magna ſunt in aethiopicam linguam et literaturam merita – ipſemet *Pſalterii aethiopici* editor.

2) *Verſiones N. T.* — Diverſos habuere interpretes – vero propius ad graecum Textum – non inconſulto tamen Syro – efformatae — Ille cum videatur eſſe alexandrinae recenſionis; mirum neutiquam eſt, ejus cum Vulgata conformitatem a Waltono jam fuiſſe notatam — *Editio* romana de A. 1648 et 1649 ex codicibus tempore, quo mohammedani Arabes infeſtarunt Aethiopiam, ſcriptis excuſa fuit – ac praeſtat etiam nunc londinenſi in Polyglottis – quamvis haec non aliam niſi romanam reddiderit – nimirum videntur hujus editores pro libidine ſua fugientes literas vel voces reſtituiſſe.

§. XVII.

Verſiones perſicae — Quae hodie de quibusdam *V. T. Libris* innotuerunt, recentioris ſunt perſicae linguae, minus, quam aethiopica, matrem arabicam diſſimulantis — Hinc quod conſequitur, recentiores et ipſae — In *Pentateucho* prominet hebraeum exemplar – in *Pſalmis* Vulgata — *Pentateuchi* interpretem Tawoſum ſive Tuſium vocant a natali loco derivato nomine — Impreſſus is fuit Conſtantinopoli in *Pentateucho polyglotto* A. 1546, at characteribus hebraeis – denuo expreſſus perſicis in Polyglottis waltonianis — *Pſalterii* codices duos laudat Waltonus.

2) De *Libris N. T.* perſice prodiere *quatuor Evangelia* – *duplici* quidem *Verſione* – alia antiquior

quior est – eadem illa, quae in Polyglottis londinensibus – alia recentior – hujus editionem inchoavit Whelocus A. 1652, et absolvit Piersonius A. 1657 — Illa certo Syrum exprimit; num haec Syrum, an Graecum, multi controversantur.

§. XVIII.

Versiones aegyptiacae — *Linguam* habent, – ut pauca quaepiam ex Philologia huc transscribam – ante Saracenorum in Aegyptum incursiones familiarem – de se quidem graecam – ut graeci quoque characteres sunt – veteri tamen Aegyptiorum linguae permixtam – hodie tantum inter christiana sacra obtinentem, quin tamen passim intelligatur — *Duabus dialectis* distinguitur — Prima, quae inferioris Aegypti fuit, incertae originis nomine, *coptica* sive *cophtica* nominatur – *memphitica* meliore vocabulo dicenda – altera vero, quae superioris, ab arabica hujus nomenclatura *saidica* vocatur – aegyptiaco vocabulo *thebaica* a Thebaide nuncupanda.

1) *Versiones N. T.* — *Duae* sunt, ac distinctae quidem – alia *dialecti copticae* – *saidicae* alia – utraque Versionis των LXX filia est, matri insignia praestans emolumenta – aliquoties Aquila, Symmachus aut Theodotion promicat – nonnumquam etiam Hebraeus — Neutra hucusque integra in scripto vel edito codice comparuit – ex utriusque tamen reliquiis non temere concluditur, integras ambas extitisse — Versionis copticae *integros* libros habemus variis in locis *impressos* – interdum et fragmenta solum — Thebaicae exempla suppeditant *duo codices* mss. parisienses – ex plerisque V. T. Libris excerptas voces ac phrases continentes.

2) *N. T. Versionem unam* compertam habemus *copticae dialecti* una cum versione latina, suos experta mastiges, editam a Davide Wilkensio Memelio – Borusso Oxonii A. 1716 – eodem illo, qui

qui A. 1731. – *Pentateuchum* ex tribus mss. exemplaribus Londini dedit in lucem – Verſionis, de qua ſermo eſt, lectiones conveniunt cum codice alexandrino, ſicque cum Verſione Vulgata – palmari argumento, ſi tanta eſt ejus antiquitas, quantam multi volunt, alexandrinum codicem ex latino depravatum non fuiſſe — Varias lectiones vulgarunt Millius et Bengelius – alienis laboribus in rem ſuam uſi – demum et Wetſteinius – haud benevola criſi exceptus.

§. XIX.

Verſiones armenicae — Tam hae ipſae, quam characteres, quibus ſcriptae ſunt — Mieſrobe utrimque primam laudem ſibi vendicante, et graecizantes praeſertim eo usque literas abolente — Saeculo V. non ſunt antiquiores — *Trinae* numerantur – et in integra quidem Biblia jam primitus factae — *Duae priores* ad ſyriacam Verſionem: *tertia* vero ad graecum – tam ubi verſio, quam ubi fons eſt – quamvis neque hic Syrus omnino neglectus fuerit – ortum ſuum referunt — Interpretes fuere – *primae* Mieſrobes – *ſecundae* Armeniae Patriarcha Iſaacus – cognomine Bartik *tertiae* Moſes Choronenſis – Mieſrobis diſcipulus, primum Alexandriam miſſus, plenius combibendae linguae graecae cauſa – cui ut propemodum dicam – omnem quoque, quam de his Verſionibus habemus, hiſtoricam notitiam acceptam referimus — Saec. XIII., quo Armeni romanae Eccleſiae ſe ſociarunt, recenſionem fieri curavit Armeniae Rex Haitho, ſed – ut Eccleſiarum non magis quam Bibliorum conſenſus eſſet – ad Vulgatae latinae lectiones — *Editiones* ſunt – Amſtelodamenſis A. 1666 – Conſtantinopolitana – ad prioris exemplum – A. 1705 – Veneta A. 1733 — Dantur et particularium librorum editiones quaedam.

§. XX.

§. XX.

Versio georgiana – armenicis subjicienda ob arctiorem Armenorum et Georgianorum, in sacra non minus quam profana republica, nexum — Nonnisi Saec. VI. videtur inter Georgianos vertendis Bibliis datum initium — Ex graeco *utrumque Testamentum* translatum est – literis Miefrobianis, at lingua, quae Eruditorum in Georgia fuit – nam hic loci inter nobilium ac plebis idioma discrimina fuere — *Editi* primum fuere *Psalmi* et *Prophetae* – tum, ineunte hoc Saeculo, Tiflisi, Georgiae Metropoli, *totum N. T.* — Universa vero Scriptnra – ad *russicam Versionem* vel immutata vel subpleta – Moscoviae A. 1743 – textum praeparante quidem, at editioni non superstite Acilio Georgiae Principe – etiam ipso inter biblicos interpretes nominando.

§. XXI.

Versiones latinae — Veteris Testamenti forsitan non admodum multae, contra ac vulgo creditur – satis mature quidem in S. Scripturam omnem adornatae – non tamen in apostolicam aetatem conjiciendae — Distinguere juvat inter Versiones, quibus *publica* quaedam *auctoritas* fuit, et inter eas, quibus *privata* solum.

1) *Celebriores*, atque ab longaevum Ecclesiae usum – si cetera deessent – prorsus venerandae sunt duae, quas memoratum eo.

a) *Vulgata vetus* – haec nomenclatura certior – passim itala nuncupatur, probabilius ab Italia, ubi non praecipuam solum sedem, sed incunabula quoque sua habuisse videtur — Scripturam omnem ex graeco dedit – et *V. T. Libros* quidem ex septuagintavirali Versione; *N. T.* ex Textu primigenio – Ho-

Hodie – si quosdam libros excipimus – in *fragmentis* et *SS. Patrum* scriptis tantum superstes — In ea resuscitanda laboravit Flaminius Nobilius, cujus fragmenta in Polyglottis londinensibus extant – ac uberrime Sabatier – nostro Saeculo – sat felici conatu, secundas tamen pluribus adminiculis instructi Critici curas opperiens.

b) *Vulgata nova*, h. e. *hieronymiana* – partim *opus* omnino *novum*, partim *emendatio* aut *recensio* Versionis latinae veteris – utrinque solidis argumentis innixo labore — Quoad *Libros V. T.* – excepto *Psalterio* – *protocanonicos* ex hebraico habet – saepe sensui magis quam verbis insistens – aliquoties deserto fonte Versionis cujusdam aut Paraphrasis chaldaicae etc. lectionem amplexa – aliquoties in rebus – extra dogmata versantibus – non levia praebens aut perperam lecti aut male intellecti fontis indicia – fortassis non semel aliena potius, quam interpretis culpâ – nihilominus in multis locis normâ lectionum – digniſſima, ad quam ipse Fons corrigatur — Circa *ceteros V. T. Libros* hic S. Hieronymi labor — *Psalterium* Versionis antiquae *bis emendandum* suscepit, et *semel* ex hebraico *vertendum* – quale *a prima emendatione*, translatitia illa, venit, *romanum* dicitur – quale *a secunda*, jam adcuratiori, *gallicanum* – estque idem illud, quod in hodiernam Vulgatam receptum est – *tertium* inter Opera S. Patris et in Polyglottis antwerpiensibus visendum est — *Partes* Scripturae *deuterocanonicas*, quae chaldaice suppetebant, ex chaldaico expressit – reliquas – quo pertinent *Sapientia*, *Ecclesiasticus* et *duo Macchabaeorum Libri* – non emendatos reliquit — Quoad *Libros N. T.* hos – ut ipseme ait – graecae fidei reddidit – novis tamen correctionibus non omnem intercludens locum — Hujus Versionis authentia ejusque notitia historica et dogmatica praesentis loci non est — *Editiones* – aliae *Tridentino anteriores* – jam ab inventa typographia plures – quarum exempla magno numero hujatis electoralis Universitatis Bibliotheca offert –

typo-

typographicis id genus cimeliis locupletissima – quorum syllogen parat Professor Düchtelius, eruditus ac sollers academicae Bibliothecae nostrae Custos, propediem typis edendam – aliae *posteriores* – inter has emendatiores, etsi, quod editores ipsi fatentur, non omnibus mendis vacuae – Sixtina — Clementina.

2) *Versiones latinae recentiores* — a) Translationes *V. T. ex hebraeo* variae — Privatorum sunt – ac magis suo interpretationis merito, quam critico quodam usu valent — *Primam* dedit Santes Pagninus — Aquilae graeci vestigia premens, – Lugduni impressam A. 1528 — *Secundam* Sebastianus Münsterus – annis 1534 et 1535 – docti et religiosi interpretis laudem consecutus, at aequo magis credulus – ut ait Seemillerus in *Institut. hermen.* – recentioribus Iudaeis, magistris suis — *Tertiam* inchoavit Leo Judas, latinus Symmachus – et absolverunt quidam Theologi tigurini, ac Tiguri imprimendam curarunt A. 1543 – unde *Tigurina* vocatur – eadem est, quae Vatabli nomen gerit – a Roberto Stephano A. 1549 typis recusa una cum notis Vatabli Doctoris Sorbonnensis – corruptis illis quidem – inde etiam a S. Facultate parisiensi damnatis – verum Salmanticensium opera postmodum emendatis, sicque typo vulgatis — *Quartam* confici atque edi curavit Cardinalis Cajetani, interpretandi ratione, quam praescripsit, dum voluit optime, pessime consulens versioni — *Quintam* dedit – A. 1551. Basileae editam – Sebastianus Castalio – nec exactus, ut decuit, nec fidus – nimia idiomatis latini cultura vim omnem Ss. Eloquiorum elidens.

b) Inter *Versiones N. T.* ex Graeco *Erasmica* est prae ceteris laudanda, – ac laudata ab Huetio — Basileae primum impressa A. 1516 — Verba verbis, sententias sententiis, et saporem sapore exaequans – ac perspicuitatem cum dictionis castitate et nativo suo colore conjungens.

c) Re-

c) Recentiſſime viguit, ac hodiedum viget idem hic in vertenda ex Fontibus Scriptura ſ., aut quibusdam ejus partibus transferendis labor.

§. XXII.

Verſiones nobis exoticae aliae 1) *Slavica* – qua Ruſſi, Slavorum gens, etiam nunc utuntur — Ex graeco nata eſt – atque ad chriſtianae religionis inter Slavos primordia, ſcilicet ad Saec. IX, orginem ſuam refert – aliquoties, ac primum Pragae, vel ex parte vel omnis, *impreſſa* Saeculo XVI., pluries, potiſſimum noſtro, Moſcovii et alibi.

2) *Gothica* – non francica dicenda – fuitque Gothorum ſive Moeſo – gothorum, gentis germanorum, inde a Boryſthene pedetentim ad Danubium usque, ubi hodie Valachiam adluit, ſeſe demittentium — Ejus idem, qui gothici alphabeti, auctor, Ulphilas Cappadox – Saec. IV. Gothorum Epiſcobus – ab ariana haereſi – ut illuſtris Eques Michaëlis docet – vel in ipſa verſione hac ſua non immunis — In *codicibus Librorum N. T.* qui ſuperſunt graecum Textum ſequitur — Superſunt *quatuor Evangelia* – non tamen ſine lacunis – in codice argenteo, ſic dicto, quod argenteis characteribus ſit ſcriptus, etſi literis initialibus aureis – is hodie Upſalenſium eſt — Reſtat praeterea fragmentum *Epiſtolae ad Romanos* in codice carolino Bibliothecae guelpherbytanae — *Editio* codicis argentei optima, quam curavit Edwardus Lye Oxonii A. 1750.

3) *Anglo-ſaxonica* — Inſerviebat genti, quae ipſa etiam originis germanicae fuit — *Verſionis* negotium a variis ſuſceptum – in *V. T.* exprimai creditur Textus LXX Senum; in N., Vulgata latina

— Ad Saec. VIII versionis hujus partes aliquae reducuntur; aliae ad Saec. X. – illae N.; hae V. T. sunt — Alterutrius Testamenti aliquid *typis impressum* accepimus ex Anglia Saec. XVII.

§. XXIII.

Versiones vernaculae – ut sunt *Italorum.* — *Gallorum* — *Hispanorum* — *Germanorum* – Qua tales, inter Critices s. adminicula haud numerantur — Sed potius – ubi interpretationis labor feliciter successerit – rite adplicatae Philologiae, Critices et Hermeneutices s. fructus dici debent — Inter *germanicas*, quae *catholicos* interpretes habuerunt, hae Vulgatae suae textum authenticum reddunt – ex fontibus tamen ac Versionibus, praesertim orientalibus, quod recentiore aevo fieri frequentius solet, emendatum: quae acatholicos; Fontes ipsos exprimunt — A. Saeculo IX. saltem Germani idiomate suo legisse sacra Biblia dicuntur — Prima edita sunt A. 1462 -- ut certum videatur esse Denisio -- quamvis ab aliis vocetur in dubium –

SECTIO III.

HERMENEUTICE SACRA SPECIALIS

SIVE

Ad Studium LL. OO. et usum Fontium ac Versionum Adplicata

Primaria isthaec *biblicae Hermeneutices pars est.* — Docet enim *primo* in ipsis Fontibus -- sacrae Critices beneficio jam magis pure fluentibus -- divinorum Eloquiorum sensa indagare --- Nec umquam

quam *Exegeta catholicus* in iisdem ex verſione latina exponendis, ut par eſt -- verſabitur, niſi Textuum originariorum ac praecipuarum Verſionum linguas calleat --- Sine hoc adminiculo ceterae nutabunt hermeneuticae regulae -- pro eruendo ſ. Scripturae ſenſu praeſcriptae; uti eodem uno ſaepius maximae difficultates biblicae enodantur - atque univerſim honori Eccleſiae; dogmaticos locos pro auctoritate ſua interpretantis, locupletiſſime conſulitur — Secundo ſcopulos oſtendit, ſollicite declinandos, ne laudabiliſſimus ceteroquin LL. OO. ac Fontium etc. *uſus in abuſum* -- magno biblicae exegeſeos damno -- degeneret.

§. II

Studium autem, quod in addiſcendis linguis Ss. Scripturarum ponendum eſt, non modo *grammaticum* ſed etiam, *aeſthetícum* ſit, oportet — Utrumque neceſſarium eſt ad internoſcendum penitius et verborum et Auctoris theopneuſti ſenſum — Ad hoc enim requiritur, ut ſingularum vocum et phraſium poteſtas omnis, vis et energia, venuſtas etc. perſpecta ſit -- maxime ut cognita fiat ratio ſtili -- Cujus quidem eſt in omni Scriptura s. maxima diverſitas — Oritur haec in primis a *communi* hebraicae genti cum reliquis per Orientem populis *ingenio*, et hoc quidem pro diverſo reipublicae ſtatu rurſus vario -- tum a propriis dotibus, quibus auctoris theopneuſti mens vel idioma quacumque de cauſa ſe diſtinguit -- denique a *modo*, quo ſcriptores ſacri in argumento ſuo verſantur -- etenim inde *proſa* vel *poëſis* -- atque haec jam didaſcalica -- jam bucolica -- jam elegiaca -- jam lyrica -- Propheticum dicendi genus nec proſa nec poëſi ſemper incedit.

§. III

Regulae, quae inveſtigandas vocum ſignificationes.

spectant — *Princeps* profecto, quae *sedulam* ipsius Textus hebraici *lectionem* commendat — Non raro vel adlata nominis explicatione -- vel indubiis exemplis -- vel similium rerum dissimilibus vocabulis facta narratione vocum significatus definitur — Quodsi dubia, vel incerta penitus omnia in posterum maneant: ad *Etymologiam* - ad *Formarum Analogiam* -- ad *adfines linguas* confugiendum est — Quo triplici in labore ne modum excedamus limites sunto -- tanto magis necessarii, quanto quisque sui et cogitatuum suorum amantior est —

1) *Etymologiae Studium haud nimium esto* -- nam plerumque meris conjecturis innititur — Igitur non sine moderatione quadam in primarias radicum significationes inquirendum est — His cognitis tanto certius quidem derivatorum nominum notiones determinari queunt — Neutra tamen parte primarii significatus pro generalibus habeantur, quae secundarios ceu totidem species contineant —

2) *Non ilico certa habeatur vocabuli vel radix vel significatio, cui favet Formarum Analogia: nec repudietur continuo; si repugnare videatur* — Sub eadem enim Forma saepius variant et vocabula et eorumdem significatus -- et Formae non infrequenter heteroclitae sunt —

3) *Quam diligenter pro etymo figendo cognatae inter se linguae conferendae sunt; tam modeste de novis inde repetitis significatibus est sentiendum* — Quae voces enim diversis in linguis adfinitatis quidquam habent, nec certo suam ideo produnt orginem semper, aut significationem —

4) *Quamvis arabica lingua hebraicae cognitionem plurimum promoveat: illa tamen res omnis etymologica non conficitur* — Quis enim quaevis ejus vocabula, vel horum notiones antiquas dicet? — Sane-

Sane arabica scripta -- quae nostris in manibus versantur -- recentioris aetatis sunt omnia —

5) *Ponderanda sunt versionis alicujus adjuncta; priusquam adhibeatur fides significationi textuum primigeniorum vocibus datae* — Major antiquitas -- melior codex -- linguarum peritior interpres, Etymologiae majus commodum promitunt ex versionibus. Error frequens interpretum fuit, eamdem vel hebraicam vel graecam vocem -- etsi diversis significationibus subsiabat -- eodem vocabulo suae linguae exprimentium —

6) *Ex translatione latina ejuslibet alterius versionis non continuo statuatur de vocum etymo* — Non unam enim scatere mendis, forsitan interdum ob ipsum acclerandum versionis laborem, Polyglotta docent -- latinas id genus versiones passim adjicientia —

7) *Novis vocum significationibus, quas Etymologiae studio detectas aliqui volunt, novae exegeses, adlusiones etc. haud ilico superstruendae sunt* — Has enim quamprimum quisquam amare coepit; mox ut certissimas atque indubitatas -- licet ad summum verosimilitudine quadam gaudeant -- solet proponere -- non sine publica saepe ceterorum alia sentientium irrisione.

§. IV

Regulae, interpretem in sensu grammatico Scripturae hebraicae investigando dirigentes. Sequentes licet statuere --

1) *In determinando sensu loci cujusdam biblici a punctatione masorethica temere non est recedendum* — Nam ejus origo et scopus eamdem revereri nos jubent — Exceptioni locus est; si urgens ratio contrarium suadeat --

2) *Anomaliae vel Figurae -- cum orationis sensu connexae -- sunt exemplis probandae, non pro lubitu adstruendae.* — Qui alia omnia agit, abundare potius sensu suo mavult, quam in sensum a Spiritu s. intentum inquirere — Saepe descriptoris vel typothetae mendum est, quae Anomalia vel Figura dicitur esse —

3) *Ut idiotismi alicujus veritas certo pateat, loci paralleli similium phrasium indagandi sunt* — Sententiis enim sic inter se comparatis demum definire licet, num haec illave loquendi formula cuidam linguae propria sit, nec ne —

4) *Hebraismus vel graecismus, in versiones receptus, ad hebraicae graecaeve linguae ingenium explicandus est* — Nisi hac ratione sanetur versionis vitium -- qualecumque dicatur esse -- numquam in ipsum s. Textus sensum dabitur penetrare --

§. V.

Regulae, dijudicandi stili biblici normam praescribentes —

1) *Verba Scripturae S.* -- quod pridem S. Augustinus tradidit -- et interpretum gens omnis, ut prope dicam, sibi sanctum esse voluit -- *tam in Fontibus quam Versionibus proprie sumenda sunt, quamdiu non obstat evidens aliqua ratio* — Quae enim in ceteris omnibus, cur non in biblicis scriptis valeat regula? — Qua quidem contemta non solum historicae veritati, sed nonnumquam ipsis fidei dogmatibus paratur periculum —

2) *Sermo prosaicus adprime secernendus a poëtico* — Discriminat apertissime S. Scriptura inter utrumque; meliorem ducem, quam ipsa est, sequi non

non possumus — Conferre hic juvat ejusdem rei historicam et poëticam in Bibliis narrationem — *Poësis* autem *sacra*, vel, si malueris, *Orientalismus* dignoscitur, modo ex *ejusdem ipsius characteribus*, quo spectant certorum vocabulorum usus, cogitatuum ordo, membrorum dimensio ac sententiarum harmonia, ac pro diversitate generis carminis, conceptuum granditas et audaciores phrases etc. -- modo ex *scopo* Libri vel loci biblici -- cautionibus vel facilius imbibendis morum praeceptis etc. destinati -- modo ex scriptionis *argumento* -- per semet fictionis indicia praebente, ut in *Fabulis*, *Parabolis* etc. fieri scimus, aut vatum divinorum praedictiones, cohortamenta vel minas pertractante — modo ex Scriptoris theopneusti *testimonio*, - quidquam supra vulgarem sermonem a se vel alio Cani profitentis ---

3) *Non major ponendus est labor in distinguendis vocibus impropriis a propriis, quam in discernendis Tropis inter se* — Dum e. c. Metaphoram dicis esse, quae Metonymia est, perinde aberras a vero Scripturae sensu, quam si Tropum statuis, ubi nullus intercedit —

4) *Tropi biblici explicandi sunt ad ingenium loci et personarum, ubi et inter quas eorumdem usus fuit* --- Alias enim nec aequi eorum arbitri erimus, nec omnem eorumdem vim aut elegantiam adsequemur ---

5) *Metaphora vel Allegoria non habeatur, quae adlusio est ad factum historicum anterioris aetatis* — Sic enim prudentius ac solidius saepe vaticinii aut promissi cujusdam veritati consulimus, quam adcersitis in auxilium Metaphoris hyperbolicis —

6) *Fictio qualiscumque non subponenda sed probanda est* — Hanc nisi manifestis teneamus argumentis; Orientalismus in prosam inferendus non est — Non enim is fuit Orientalium mos, ut promis-

miscue et quotidiano sermone fictiones vel Allegorias eructarent — Ejusmodi aliquid cogitare nec mentis humanae nec linguae conditio -- etiam sub infantili utriusque aetate -- sinit.

§. VI.

Regulae, biblicam hermeniam, pugnantibus inter se Fontibus etc. et Versione vulgata circumscribentes — Fluunt istae tum ex *indubia criterii hujus* -- in usu LL. OO. etc. siti -- licet de cetero utilissimi -- *infirmitate*, tum ex *reverentia*, quam *Analogiae fidei* aeque ac *Ecclesiae praeceptis* debemus --- Certum enim hic esse Catholicis, subpono, biblicam exegesin in unoFontium ac versionum usu conquiescere haud posse -- et profecto quotusquisque interpres -- etiam linguarum notitia reliquisque humanis adminiculis insigniter adjutus, qui modeste sapit, umquam jurato adseret, hunc, quem ipse putat, non alium sensum textui cuidam sacro subesse – quod quidem, si de dogmate agitur, oporteret fieri — Certum omnino -- quemadmodum inter nulla dogmata, sic neque inter ullum Scripturae locum et quemcumque fidei articulum pugnam esse posse --- Certum, Ecclesiae divino beneficio concessum esse privilegium, uti de dogmate, sic etiam de Scripturae sensu dogmatico, quocumque tempore lis movetur, citra erroris periculum decretoriam ferendi sententiam,cui obtemperare cujusque catholici Exegetae est — Certum etiam, Ecclesiam, uti jure suo Versionem hodiernam vulgatam declaravit authenticam, ita jure merito hanc ipsam versionibus latinis omnibus anteponendam, et juxta sensum suum et unanimem SS. PP. consensum exponendam voluisse --- Certum denique, nihil istorum ultra materias fidem moresque concernentes sese extendere.

Igi-

Igitur 1) *interpres catholicus Scripturae ſacrae interpretationem accomodet ſenſui, quem Vulgata, ipſi authentica, offert* — Quod quidem in dogmatibus neceſſario facit, tum ex principiis ſyſtematis catholici -- tum ob ipſam Textus latini cum hebraico vel graeco in illis conſenſionem — Et ſane, ut catholicum dogma cognitum nullum eſt, ita locus biblicus, pro dogmatico adſertus ab Eccleſia, repertus eſt nullus, cui textus hebraeus vel graecus evidenter aut certo contradiceret — In locis ἀδογματικοις, qui ſunt numero plurimi, etiam inter eos, qui privata auctoritate nonnumquam ad confirmanda dogmata ſolent adlegari, ex prudentiae legibus definiendum eſt -- ſiquis eſt Fontium ac Verſionum diſſenſus -- quasnam partes oporteat ſequi. Hinc

2) *Vulgatae ſenſus, in rebus etiam extra dogmata verſantibus, non deſeratur leviter, praeſertim quodſi pro illo ſtet inſignis aliqua Verſio, nec Fons ipſe prorſus eumdem reſpuat, quamvis hic* - quod ad vocabula ſecundum ſe vel ſub aliis punctis conſiderata attinet, *aliam quoque pati poſſit expoſitionem* — Primas in his, dum licet, meretur ſane latinus Bibliorum interpres vel emendator, S. Hieronymus, multis quidem ex capitibus; tum in primis ob inſignem eruditionem et linguarum peritiam, obque plurimas optimae notae lectiones, quas ſecutus plane dici debet: tanto magis eidem is honor habendus eſt, ubi aliunde accedunt teſtes vel lectionum vel ſenſus, quem adoptavit, aut ſi ſaltem non adverſentur — Augetur vis ac robur argumenti, ſi alterutrum ipſa facti vel rei cujusdam traditione inter Judaeos vel Chriſtianois confirmetur – Adhaec plerumque accidit, ut, dum aliam quis amat lectionem, vel ſenſum alium, non una ſit praecedentium regularum, contra quam peccari mihi quidem videatur – aut praejudicatae cujusdam opinionis amor vel novaturiendi pruritus aperte ſatis ſe manifeſtet.

3)

3) *Illicitum credendum haud est, in locis adiaphoris, aut si doctrinam aliquam videntur concernere, minimum Ecclesiae judicio nondum determinatis – a Vulgatae sensu recedere; si pro contrario plura aut validiora – tam interna quam externa – militent criteria* — Vulgatam enim nostram – quaiem impressam habemus – in ejus generis rebus non vacare mendis omnibus, fatentur ipsi ejusdem editores et correctores — Adeo S. Hieronymus non semel ipse suis in Commentariis lectionem praefert, alienam ab ea, quam sua in Versione adhibuit – imo merito, utpote meliorem, anteponendam docet.

COROLLARIA

COROLLARIA

PHILOLOGICO - CRITICO - EXEGETICA

AD LIBRUM בראשית

1) Non inanis conjectura est, Mosen in scribenda *Geneſi monumentis* quibusdam *ſcriptis* usum fuisse : sed erudita magis quam verosimilia sunt, quae de illorum *conditione* vel *numero* pridem ac nuper sunt divulgata.

2) *Linguam primaevam*, qua Moſes – qua demum cumque ratione – rerum ante se gestarum notitiam accepit, ex *egeſtate poëticam*, vel *allegoriarum amantem* fuisse, nobis non videtur.

3) Quae propius in *Geneſi* ad *numerum* ac *ſtilum poëticum* accedunt, *prophetica* merito dicuntur esse.

4) Nec *argumentum* nec *ſtilus* nos jubent, ut narrationes, quibus *mundus conditus* Cap. I. et II. — *Adami lapſus* Cap. III. – *turris babelicae exſtructio* Cap. XI. – *excidium Sodomae* Cap XIX. – *luctа Jacobi* Cap. XXXII. describitur, *poëma* habeamus vel *allegoriam*.

5) Se-

5) Sequentibus tamen temporibus *adluſiſſe* ſaepenumero ſacros Scriptores *haec ac ſimilia facta poëtice*, non inficiamur.

6) De *Deo divinisque rebus* Hebraei, ut ceterae gentes creberrime κατ ανθρωπον loquuntur — Adjuvere hunc loquendi modum frequentes Numinis adparitiones – quamvis Jehovam ipſum olim umquam *humana ſpecie* ſe ſpectandum dediſſe, non exiſtimemus.

7) *Viſiones* ac *ſomnia* divinitus oblata, quorum in Patriarcharum hiſtoria fit mentio, inter cetera nobis argumento ſunt, *viſiones* Prophetarum *ingenii poëtici partum* dici non poſſe.

8) Vox אלהים – ſive *nomen* ſpectemus ipſum, ſive *ſignificatum* ejus – *variis idiotismis* jam Cap. I. 1. et 16. dat locum, ex quibus per ſeſe *myſterii* nihil inferre licet: רוח אלהים ibid ℣ 2. ſecundum literam ex ingenio linguae eſt *ventus vehementiſſimus*.

9) In ויקדש Cap. II. 3. *ſabbati* jam *a mundi origine*, ſed citra praeceptum, ſacri veſtigium deprehendimus.

10) Cap. III. 15. omnino legendum eſt הוא, quod *pronomen* – quamvis dicatur Moſis aetate de *utroque genere* dictum fuiſſe – nihilominus hic loci *maſculine* debet accipi, ac referri ad זרע, nomen Hebraeis maſculinum, hic, ut prorſus tenendum videtur, *Meſſiam* denotans.

11) Quod ad etymon vocis כרוב ibid. ℣ 24. ſpectat, ſubſcribimus *Philologis Gallis* — Quare neque *ſphinx*, neque *currus tonitrualis* etc. ſed *Angelus* nobis eo nomine ſignificatur.

12)

12) Contra, ac nonnullorum conjectura fert, *masorethicam punctationem* vocabuli חֵלֶב Cap. IV. 4. retinendam putamus — Hinc neque a prima illa mundi aetate *cruenta sacrificia excludimus*.

13) *Prefixum* ל Cap. V. 23. instar praepositionis *causam moventem* significat, sicque *verosimillimam Caini necis rationem* exprimit — Ibid. *ambiguitatem* latini vocabuli *livor* hebraicum tollit.

14) *Chronologia* tam *antediluviana* Cap. V. quam *post diluviana* Cap. XI., ea praestat, quam *textus hebraeus* offert.

15) Obvius *verborum* ac *historiae* sensus Cap. VI. et VII. *universale* prodit *diluvium*.

16) Patriarcharum, qui diluvium subsecuti sunt, *genealogica tabula* nescit *Cainanem*, quem *Graecus* nominat.

17) Quoad *annos Tharae* Cap. XI. 32. *textus samaritanus* in mendo cubat.

18) Cap. XII. 1. ויאמר, quod Vulgata reddit, *Dixit autem*, si tempore plusquamperfecto accipitur, solvit planius *antilogiam*, quae de *Abrahami vocatione* movetur.

19) Sententiae, *Melchisedechum* Cap. XIV. 18. *verum obtulisse sacrificium*, *Etymologia hebraica* favet:

20) Vocabulo דור Cap. XV. 16. denotatur *saeculum* — Hinc *promissus* Abrahami posteris *reditus* in terram Canaan demum futurus erat *elapsis* 400 *annis* – probabilius a descensu Jacobi in Aegyptum *numerandis*.

21)

21) Phrases *Versionis latinae* Cap. XXIII. 3. et 16. ad *sensum hebraici textus* explicandae sunt. — Fallitur, qui priore loco *preces* ac *suffragia*, ut dicuntur, *pro defunctis* demonstratum it: aut posteriore loco ostensurus est, tum temporis *monetam signatam* in usu fuisse.

22) Etymon vocis עלמה Cap. XXIV. 43 exponitur ibidem v. 16 – significaturque, ut vulgatus Interpres ait, *puella incognita viro* sive non cognita a viro.

23) Cap. XXVI. 24 - quidquid est de minutiis quibusdam orthographicis – tuemur *hebraici textus lectionem*, ac S. Hieronymi *versionem*, vocabulum חימם *aquas calidas* interpretantis.

24) Significatio vocis שאול Cap. XXXVII. 35 confirmat idem illud, quod ex aliis loquendi formulis non obscure colligitur, scilicet *credidisse Patriarchas*, *animas hominum a morte superstites* esse.

25) *Hysterologiam* Cap. XXXVIII. non alienam putamus ab *Historico sacro* – et facta l. c. recensita ad *anterius tempus* promovenda censemus.

26) Nec *textu graeco* LXX *Interpretum*, nec *Epistola ad Hebr.* Cap. XI. prohibemur, quominus hic Cap. XLVII. 31. vocem triliteram מטה pronunciemus מִטָּה, et *lectum* intelligamus.

27) Vocabulo און Cap. XLIX. 3. accomodatius *roboris* quam *doloris* significatio tribuitur — Atque universim opinamur, in *vaticinio Jacobi* multa non temere aliis literis ac punctis vocalibus, ut planiorem efficiant sensum, accipi posse — Versu

ſu tamen 10. non דגליו *vexilla ejus*, ut Samaritanus legit; ſed רגליו, *pedes ejus* cum Hebraeo legendum eſſe putamus.

28) Non levia ſunt momenta, quibus non pauci hodie ducuntur, ut vocem שלה vel שילה ad mentem *Textus graeci* accipiant — Nobis indubitatum eſt, neque hanc vocem *malitioſe corrupti Textus hebraici* indicium eſſe, neque locum alio quam ad *Meſſiam* recta tendere.

Index Dissertationum
Tom. VIII

N. 1. Eisenschmidii de Mensuris et Ponderibus VV. Græc. Roman. et Hebræorum – 1737 –

N. 2. Carrich de Traditionibus divinis – 1791

N. 3. Sui vi Damnati Synod. Sistojensis – 1794.

N. 4. Ries Epitome Theologiæ. criticæ et Hermeneuticæ – 1789

II.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf